

Oratio in  
proverbium, heroum  
filii noxæ, quam  
divinâ afflante  
gratiâ, in Re...

Holmius, Jacobus Eliæ,

*F1700 Br.1080*




National Library  
of Sweden

HOLMIUS

F 1770  
B 1080

Po. Parat.  
Före 1700  
Lat. Tal. Abo  
(B 10)





ORATIO  
IN

Proverbium,

HEROUM FILII  
NOXÆ.

Quam

Divinâ afflante gratiâ,

In Regia Academiâ Aboënsi 25.

Martij Anno 1655. Publicè in Auditorio Majori  
pro concione enarrabat

JACOBUS ELIÆ HOLMIUS  
Os - Botbriensis

Plato lib. 6. de leg.

*Hominem mansuetum animal esse dicebat, quòd si recliã di-  
sciplina institueretur, in mansuetissimum & divinum  
prorsus animal evadere: sin verò non satis aut non  
bene esset educatus, ferocissimum omnium, quæ in terris  
nascuntur, animal reddi.*

A B O Æ

Imprimebat PETRUS Hanson Acad Typogr.



*lib. Savel.  
Fide 1700  
Ant. tal. abo.  
(1655)*



*Admodum Reverendo Patri*

**DN. ÆSCHILLO PETRÆO,**  
S. S. Theol: Doctori, Diœceſeos Aboënsis Epifcopo  
longè digniſſimo, Academia pro Cancellario celeberrimo,  
Mecœnati & promotori indubitatiffimo, ætatẽ  
devenerando;

U T E T

*Plurimum Reverendis, Nobiliſſimiſſ: Conſultiſſ: Praclariff:  
Regia Academia Aboënsis*

**PROFESSORIBUS**

graviffimis; Patribus Præcept. Promot, & Mecœ-  
natibus, æternâ animi reverentiâ colendis;

NEC NON

*Reverendis, venerabilib. Præpoſitis, & Paſtorib, in  
Bothniâ orientali.*

**DN. ELIÆ PETRI HOLMIO**  
*Præpoſito & Paſt. in Nârpiſ per-  
vigili. Patri ſuo chariſſimo.*

**DN. PAULO M. BHOOM Paſt.**  
*Civitatis Waza meritiffimo; o-  
lim præceptorĩ ſuo plurimum ho-  
norando.*

**DN. JACOBO H. BRENNE-  
RO** *Præpoſito & Paſt. in Ero-  
noby vigilantiffimo, Mecœnati  
ſuo vero honoris zelo atatem  
devenerando.*

**DN. JSAACO H. BRENNE-  
RO** *Paſt. in Stoor Kyro digniſſ:  
Benefactorĩ ſuo Certiffimo.*

**DN. OLAO M. ARENIO** *Paſt. in Malax Fideliff,  
Fautori ſuo laudatiſſimo.*

*Hocce exercitium Oratorium grati  
animi Symbolum dicat offertq,*

**AUT HOR,**

Vitam, incolumitatem & felicitatem  
perpetuam P. &c.

**M**agnus ille Apostolica curia Senator, Gentium  
que Doctor Paulus in Epistolâ ad Ephesios cap.  
6, v. 4. gravissimè ita loquitur: **VOS PATRES**  
**EDUCATE LIBEROS VESTROS IN DISCI-**  
**PLINA ET ADMONITIONE DOMINI,**  
Quibus verbis Divus Apostolus bina tradit Parenti-  
bus præcepta studiosè observanda. **UNUM** est, ut  
sub moderatâ disciplinâ, quâ nihil humano generi salu-  
tarius, aut utilius, liberos suos maturè & fideliter enu-  
triant. Hac etenim adolescentulos ab ignaviâ ad in-  
dustriam, à petulantia ad obedientiam, à sordibus ad  
morum elegantiam, à malitiâ ad vitæ probitatem re-  
vocat. Hac mentes atq; animos eorundem ignoran-  
tiâ tenebris liberat, & ad virtuosas atq; honestas acti-  
ones conformat. **ALTERUM** est, ut liberos ad ti-  
morem Domini, qui omnis vera sapientiæ initium est  
omnisq; tum spiritualis tum corporalis felicitatis fun-  
damentum, pijs sæpius admonitionibus exhortentur.  
Huic gravissimo Apostoli monito Parentum quidam,  
liberis suis benè consulentes locum relinquunt, omnes-  
que nervos corporis atq; industria in id contendunt, ut  
eorum liberi ab ineunte ætate non in deliciis atq; indul-  
gentiâ, sed labore & severitate, non in lusibus & jocos,  
sed in percipiendis ingenuis & liberalibus disciplinis se-  
dulò instituantur: idq; ideò, ut Deo Opt. Max. grata &

dicant & faciant, suam ornent familiam, prosint parentibus, commodent amicis totiq; Reipublicæ singulari sint ornamento atq; emolumento. Quidam verò contra tam sunt in filios suos lenes, ut quamvis ipsi verà in Deum pietate niteant, aliisq; heroicis virtutibus coruscant, nunquam tamen eà, quã decet, severitate, in ijs probè educandis utantur. Unde fit ut liberi domestica licentiã corrupti ad omnis generis vitia reddantur proclives, & nefanda flagitia condiscant perpetrentq;, ut verè illis adaptari possit πολυτροπον illud: Heroum filii noxæ. Quam rem altiori mentis indagine secum perpendens, Nataliũ splendore, literis & moribus Ornatissimus Juvenis Dn. JACOBUS ELIÆ NERPENSIS, oratione doctã & concinnã VERAS ET GENUINAS TANTI MALI CAUSAS est complexus, quam hodiè finitis precibus vespertinis in Auditorio Majori publicè pro concione memoriter eloquetur. Proinde Nobilissimos, Doctissimos, & Humanissimos Dn. studiosos majorem in modum rogatos volo, ut predicto tempore frequentes confluere haud dedignentur. Per scriptum Aboæ die 25, Martij, Anno 1655.

V. Humanitatès  
amicè colens

Nicolaus Laur. Nycopenfis.

ORATIO  
*In Proverbium:*  
HEROUM  
Filii Noxæ.



Ogitanti mihi, de nobilissimarū interitu Familiarum, quæ tum ferè ad occasum vergunt, si Heroum Filij descendant à virtute majorum, & esse noxæ incipiant comodè venit in mentem, ut opinor, aurea Plutarchi sententiola, qui virtutis absolutioris hoc munus inquit esse proprium, è quibuslibet rebus, quæ vel sub aspectum cadunt, vel aures ferunt, vel menti se offerunt, aliquid capere utilitatis, quod salutarè quâdam commonefactione animum imbuat, vel voluntatem informet, actiones vitæ moderetur ac gubernet. Etenim in hac quæstione gravissimâ, de familiis partim surgentibus, partim ad interitum ruentibus, nihil certe omninò concinnius, quàm hæc virtutis solertia in animadvertendo, dexteritas in judicando, felicitas in applicando adhiberi posse videtur. Has n. perpetuas in hoc circulo rerum humanarum vices si sub imagine luculentâ non eminus adspicere, sed cominus intueri cupias: haud opus erit procul ut abeas: ad loca quæ irrigantur, pedes efferto: colles ventosos inscendito: neq; varietatis hujus picturas ad vivum expressas, & verè spirantes requirere poteris. Utenim flumina minutis è fontibus scaturiunt, & primùm angustis fluunt rivulis, tum vero suis usâ progressionibus, subinde plures recipiunt aquas, donec latis exundent amnibus, &

bus, & multis in mare ostiis se exonerent: ita plerumq;  
homines ignobiles, obscuri, pauperes, qui nec majorum  
fumosas imagines ostentare, nec consulatus ntimerare,  
neq; nomina duntaxat percensere possunt, labore inde-  
fesso ad sapientiam adspirant, viam sibi muniunt ad vir-  
tutem, ad divitias, honores, gloriam profluunt. Con-  
tra ventorum flatus ad suum caput exortos, quâcunq; tan-  
dem ex ÆOLI speluncâ prorumpant, validissimi sunt,  
ut & cum Poëtâ loquar:

*Maria ac terras cœlumq; Profundum,*

*Quippè ferunt rapidi secum, verruntq; per auras,*

Postquàm vero longiùs per mare & terras, per mon-  
tes & valles, quod ait Euripides, equitarunt, paulatim  
vel impetu naturali desinente, vel aliorum obiectu cor-  
porum, debilitantur, languescunt & planè deficiunt.  
Ita Familiæ Nobiliores. Primum admirando successu  
feruntur, maxima disiciunt, minima obterunt, omnia  
prosternunt, donec hic impetus semetipsum paulatim  
cohibeat, frangat, & tandem prorsus evanescat: Hujus  
*ἑλέφως*, cujus exempla plurima nobis & vetus Histo-  
ria suppeditat, & ætas nostra sub ministrat, quidnam aliud  
dicemus esse causæ? quàm illud ipsum proverbium:

*ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα τήματα.*

**Heroum Filii noxæ sunt.**

Digna varo admiratione, digna literarum monu-  
mentis, digna omnium seculorum memoriâ metamor-  
phosis, cujus indagare causas, & perquirere si quis possit:  
certè illum & tempus & operam haud paulò satius collo-  
care putabo, quàm si vel caput Nili quærat, vel recipro-  
cos Euripi motus scrutetur, vel è quo cœli angulo come-  
tæ stasis prodeant temporibus, exeat.

Hoc enim semihorulæ spatio breviter utrumq; demonstrare constitui, & quod Heroum Filij non quidem semper, quod Deus omen avertat, sed plerumq; tamen degeneres, seu ut proverbium habet, noxæ sint: & cur ab avitâ patriâq; virtute & felicitate sæpissimè desciscant cujus quidem rei causas latentes eruere, dispersas colligere, involutas explicare, obscuras illustrare, quantum & temporis sinet brevitatis, & mea feret imbecillitas, conabor quæ omnia sic moderabuntur hac oratione, ut nec aliena nec infrugifera, nec supervacanea, nec inani oratoriorum pigmentorum fuce attulisse videar. A vobis itaq; Auditores submissè & officiosè peto, ut quâ attentione audire cepistis, eâdem mihi benignas & benevolas aures etiam deinceps præbeatis.

*In tenui labor, at tenuis non gloria, si quem  
Numina læva sinunt auditq; vocatus Apollo.*

Et quidem ut indè mea profisciscatur oratio, undè proposita mihi quæstio nascitur: si animo omnia terrarum spatia obeamus, si omnes perlustremus Historias, si circumspiciamus omnium familiarum incrementa pariter & decrementa, manifestò deprehendemus, Heroas ferè liberos aut habuisse nullos, aut reliquisse tales, ut magis ex usu rerum humanarum fuerit, illos absq; liberis decessisse. Heroas eùm dico non cum vulgo loquar, nec cum iis, quæ à plebeculæ judicio pendent, quibus nunc quidè temporis adulatoriâ quâdam & levitate ridiculâ Heroes promiscuè illi sunt omnes, qui nobilioribus è familiis orti aliquot villas à colonis propè desertas, raras arces & eas quidem semidirutas, oppida paucula & rapinis exhausta, aut si præclarè se habeant omnia, unius alteriusve Provinciæ sparsas hinc indè particulas obtinent.

Neque

Neq; tamen strictè cum veteribus Heroas definitio tantum viros planè *Θεοί*, qui insigni prudentiâ res perplexas & dubias sine errore, difficiles & arduas sine defatigatione; ancipites & periculosas sine offensione ul lâ ita gerunt, ut propiùs ad Deorum naturam ascendere, quàm ad humanâ infirmitatem se demittere videantur. Verùm præter hos ipsos etiam eos Heroum appellacione in hoc cenſeo proverbio, qui eximiâ virtute & sapientiâ præditi & fortunæ secundis usi statibus res sanè magnas suscipiunt, sed tamen non nisi quæ humana perferunt, & ad exitum ita quidem, ut falli, errare, debilitari, frangi sæpè queant, producant. Horum simul & illorum liberi, nepotes, posteri, plerumq; vel sunt tardi, stupidi, fatui, in quibus nullus labor, nulla cura, nulla industria: vel petulantes, improbi, scelerati, ore, lingvâ, manu, totâ vitâ inquinatissimi, qui ferè ad extremum ab omni re & spe deserti, à fide & sede destituti vitam producant miseram. Atrocias sunt, quæ dico & omnem propè fidem excedunt: sed nihil facilius est quam exempla proferre, familias notare, argumenta adducere, quibus non magis reclamare possis, quàm ipsi veritati contradicere.

Causas vero duplices hujus *ἀνομαλίας* dare mihi posse videor, quarum aliæ divinæ sunt, aliæ morales. Nec enim libet hoc tempore naturales & scrupulosè quærere vel subtiliter enucleare, cum & pauculæ sint numero, & pondere leviculæ, & à castissimis auribus studiosæ juventutis nonnihil alienæ. Divinas efficio duas, quarum prior universalis est, specialis posterior. Universalem voco Dei providentiam, quæ per totum hoc universum comitat, & ad ea pertinet omnia quæ ambitu & circuitu mundi continentur, Specialem ejusdem justitiam

tiam appello, quæ ab hominibus rectè facta præmiis ornat, secus acta poenis gravissimis vindicat. Primum itaq; si nodum quæstionis verè Gordium, & vinctice dignissimum vel solvere & extricare, vel incidere & secare velis: audies Mariam virginem, quæ in hymno, quem cecinit Eucharistico, non hoc è tripode oraculum, sed è sanctissimo pectore responsum de Deo profert: deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Audies Chilonem inter septem Græciæ sapientes primarium, qui sciscitanti quidnam rerum ageret Iupiter? humilia inquit, tollit, & excelsa deprimit. Audies Demosthenem Suadæ medullam, qui alicubi veluti numine quodam afflatus in hæc verba prorumpit: τῶν ἀγαθῶν iuquit ἀνδρῶν ὡσπερ, εἰ μαρμὲν ἔη Φαύλος ἀποβάντων τὸς υἱὸς: Magnorum virorum liberos improbos evadere, perindè quasi fato quodam id accideret. Hanc itaq; varietatem immittit & circummittit ipse Deus consilio non minùs sapienti quàm iusto, non minùs iusto quàm sapienti: Deus inquam qui Cœlorum perennes orbis, qui sempiternas stellarum ignes, qui perpetuas Elementorum vices, qui ortus & occasus hominum, qui res deniq; superas & inferas, immortales & morti obnoxias, æterno imperio temperat, moderatur, gubernat, nec quicquam fortuito moveri, casu ferri, temerè turbari, & misceri patitur. Is igitur in hoc amplissimo mundi theatro, perpetuum, firmum, stabile, fixum, immotum, immutabile nihil voluit esse, præter semetipsum. Ideoq; semper ludos dare solet ejusmodi, ut quæ vix edita sunt, ea subito aboriantur & intereant: quæ jam surrexere, corruant; quæ nuper constitere, jaceant: quæ paululum floruerè, marcescant & tabescant. Oculis hoc totum universum perambula, intuere sublimia & terrena,

animata & inanimata, grandia & parva, mente & manufacta: ab omni ævo corruunt, & corruent in omnem ævum: tantum abest, ut jure Deo propter hos familiarum obitus, vel succensere, vel obmurmurare & obtrepere possimus. Ut enim ferro consumens agnata rubigo, & liguis exedens caries, & teredo: ita rebus omnibus insitæ pereundi causæ, nec aliter per hunc fati canalem suam ad mentem, quam ad mare flumina feruntur. Totus hic mundus, quem pulcherrimum Dei opus esse Plato asserit, nonne situm contrahit? nonne senescit? nonne paulatim interit brevi alius & novus futurus. Cum igitur sic rerum omnium in se remeantium eas orbis, quamdiu est orbis, cum omnia in hunc fatalem nascendi ac pereundi gyrum abeant: quid est, quod mireris, singulas etiam familias in hanc labem trahi? omnibus sua adolescentia est, & robur, omnibus sua senectus & mors, quam sentire tum maxime incipiunt, si virtutis cursum, quem majores tenuere, posterius deserant, scelerumque tempestatibus impliciti & ad infelicitatis scopulos impulsæ naufragium faciant, & hausti fluctibus intereant. Ut autem ijs è locis, ex quibus ventorum impetu arbores magnæ stirpibus evulsæ & dejectæ sunt aliæ pullulascunt, & succrescunt arbusculæ, donec & ipse justam ad proceritatem assurgentes, eosdem sustinere incursum, excipere impetus, experiri lapsus cogantur: ita si familiæ nobiles occidant, ignobiliores oriuntur: si potentes concidant, tenuiores extolluntur: si illustres latere incipiant, obscuræ in lucem protrahuntur. Utrumque tum demum certum est, si boni improbos, & improbi bonos sortiantur liberos, quem ludum ludit in rebus humanis DEUS, & ex hac argillâ varias subinde formas fingit & diffingit, neque tamen

tamen injuriæ aut culpæ ullius à quoquam, in quo vel mica pietatis reliqua sit, insimulari potest. Quæ quidem causa non est postrema ejus quam nostro proverbio descriptam habemus varietatis :

## Heroum filii noxæ

Primum itaq; A. O. fontem hujus, quâ de ago, ἐκείθεν, & illum quidem uberrimâ venâ scaturientem aperui. Alterum, qui pauciores, non minus tamen limpidas fundit aquas, breviter hauriam. Et quidem causam hujus inæqualitatis è divinis secundam ipse nobis Deus suggerit & ingerit: cùm se parentum iniquitates, in liberorum tertiam & quartam usq; generationem visitare & vindicare pronunciat. Eandem Democritus aureo designat versiculo: ἐνσεβέων παιδεσσί τὰ λία, δυσσεβέων δ' ἔ. piorum liberis optima quæq; contingunt, impiorum posteris non eveniunt. Eandem Plutarchus in libello de serâ numinis vindictâ plurimorum exemplorum historia comprobatur, rationum, momentis demonstrat, venustissimis picturis illustrat, adeò quidem, ut non sit dubium, quin Dei ira, ultio, vindicta, quâ scelera parentum in liberis profsequitur, Heroum Filios ad paternæ felicitatis clavum sedentes, in sentinam omnium miseriarum præcipites deiciat. Deus enim qui regit & gubernat omnia, non agit ocium, neq; suis gaudet voluptatibus, quod Epicurei sceleratè fingebant: non epulatur apud Æthiopes, quod Poëtæ fabulantur: sed contemplatur terras & maria; interna & externa rimatur, corpus videt & mentem, nec ullam sine præmijs virtutem abire, aut ulla sine poenis flagitia evadere patitur. Quamvis sub tunicâ commissa sint, sub sinu perpetrata. Non tantùm enim

nostri Magistratus, qui quasi pedarij sunt, & minorum gentium Dij sed etiam summus ille moderator Deus omnium rerum, gemino vinculo societatem inter homines alligat, astringit, continet. Illa vero præmia sunt & pœnæ, quæ bonis & improbis, honores, & ignominia, quæ morigeris & refractariis: incolumitas & exitus, quæ quietis & turbulentis debentur. Cum a. Deus pœnas non minùs à Rege & principe, quàm à bubulco & cerdone: non minus à divite, quàm à paupere expectat: mirum non est, tantos etiam viros maximis calamitatibus exerceri, affligi, cooperiri. pœnas autem delictorù suorum vel ipsi viventes, vel mortui, posthumas ad infelicem posteritatem transmittunt: qui scilicet fons est, quod caput, quæ radix malorum omnium, quibus cum Heroum liberi conflitantur. Exempla cum è Sacris literis petere, tum aliundè promere quàm plurima, si foret opus, poteram. Impius in parentem erat Chamus: sed in caput filia Nohæ imprecatio recidit. E Sodomitis non tantùm adultiores malam pestem oppetunt: sed etiam pueri, puellæ, & vagientes in cunis infantuli sulphureis ambusti flammis inter atrocissimos cruciatus vitam miserrimè finiunt. Achan ea quæ non liceat contrectare, furto subtraxerat: cum omni familia lapidibus obruitur. Gyges pastor regius in Lydià à cujusdam annuli ministerio Candaulem Regem interficit, Reginam uxorem ducit, regnum Lydiæ occupat, & administrat impunè quidè Pater, quietè filiù, pacatè nepos, tranquille abnepos: sed Crœsus atnepos qui & pietate & virtute majorum omnium luminibus obstruebat, bello à Persis vincitur, regno exuitur, rogo imponitur, & ægrè partim Solonis inclamatione, partim cadente subito pluviâ servatus indignam apud Persas, ad exitum usque vitam

vitæ servitutem servire cogitur. Hæc & similia legentibus, quid aliud in mentem venire potest, quam quod sæpius inculcavi?

## Heroum filii noxæ.

Hactenus A, Opt. Causas divinas non eâquâ debui ubertate, sed quâ brevitate potui, conatus sum demonstrare.

Morales mihi deinceps sumam explicandas, quas quidem non de cœlo cujus splendorem oculi nostri vix possunt ferre, devocabo: sed ex mediâ hominum vitâ positas ante pedes colligam.

Inter Causas itaq; morales hujus calamitatis, quæceretè maxima, locum sibi primum jure vendicat educationis ratio præpostera, de quâ libet usurpare Comicum illud:

*Ut quisq; filium suum vult esse, ita est.*

*Libet alterum addere versiculum:*

*Blanda Patrum segnes facit indulgentia natos.*

Primum enim Heroes seu Magni viri, quorum naturæ generosiores, admodum *Φιλόστρογοι* sunt, & *Φιλότεκνοι*, suosq; tenerrimo amore complectuntur. Plorant liberi, vix â lacrymis sibi parentes temperant. Irascuntur, eos anxie placant: aliquid poscunt, ecce parata omnia quidlibet facere & pati malunt, quàm tenellos offendere, lacrymas flentium adspicere, ploratus ejulantiû audire. Nondum ponere didicerunt pedes, delitiis solvuntur, repunt in purpurâ, nitent auro & gemmis, rigent & longè pluribus, quàm statuæ Deorum *ἀναθήμασι* circumvestiuntur. Quid hæc de amentia porrò dicam? verbulum aliquod paulò commodius puero fortè excidit: indolem, genium, solertiam, ad cœlum tollunt. Deformis est, viro

dignam faciem collaudant, tardus & stupidus, circum-  
spectum vocant. Malitiosus & improbus: alacrem &  
vigilantem nominant. Obstinatus, & pertinax: tena-  
cem propositi, & constantem appellant. Deniq; ex  
Thersite Ulysssem, ex Paride Achillem quempiam effi-  
ciunt: adeò verum dixit poëta, qui turpissima quæq; a-  
mori pulchra videri dixit. Hos itaq; parentes, cuinam  
rei dicam esse similes, cuinam? certè, simiis, quæ catu-  
los suos, quasi pulcherrimi sint omnium, in Iovis con-  
spectum producere, & glabras ac depiles ostentare  
nates haud verentur, eosq; sæpè nimis complexibus e-  
necant, optimo jure conferri possunt. Detur aliquid  
sanè amoris parentum ardentissimo: blanditiis suorum  
capiantur: ætatis imbecillitate moveantur: sed hanc  
*Φιλοσοφίαν* quis probet? Quæ cum rationis funiculo  
non trahatur, inceptu quidem videtur esse levicula, sed  
exitu planè luctuosa est & mortifera, Quod si tenelli  
delitiis, lautitiis, voluptatibus, illecebris in cunis in-  
escantur: quid aliud sperandum putas aut metuen-  
dum? quàm Horatianum illud:

*Quo semel est imbuta recens servabit odore Testa diu.*

Quamvis enim, non rarò Heroum filii noxa sint, &  
è parentibus aureis liberi saltem ferrei, & plumbei, quæ  
Platonis est querela, nascantur: tamen sæpissimè fortes  
creantur fortibus, & virtutes parentum refert posteritas.  
Habitus peculiare corporum è parentibus in liberos, &  
quidem multos per gradus, quod admiratione dignum  
est, transmitti videmus. Seleucus is, qui post Alexan-  
dram Syriæ regnum interceptit, figuram anchoræ femo-  
ri suo impressam habuit, quæ ejus omni postertati quasi  
inolevit, & in eadem parte corporis apparuit. Quod igitur  
Heroum filii educatione præpostera depraventur, &  
in noxas

in noxas abeunt: prima causa parentum est *Philosophia*, non illa quidem vitiosa, si prudens, & oculata sit: digna odio, reprehensione digna si ad liberorum fraudes & libidines vel conniveat, vel omninò cæcutiat. Sæpè tamen non tam voluntate, quàm necessitate quâdam parentes educationi liberorum minis vacare possunt. Publicis enim occupationibus distinentur, ut ne quidem ad scalpendas aures quidquam ocij suppetat. In Ecclesiâ sermonem veritatis rectè secare, puram Evangelii doctrinam è situ & tenebris educere: in Repub: leges conderi, lites dirimere, pro aris & focis excubare: hæc omnia, inquam, si quis vigilanter obire velit, is certè filiorum educationi multum impendere temporis haud poterit. Tum igitur bonam ætatis partem liberi in gynæceis inter ancillulas, apud matres educantur mollier, lautè, delicatè, ut sexu quidem viri sint, sed animo foeminis languidiores. Quid enim? Magni viri nonnè Magistros honestâ mercede conducere? nonnè magnis impendiis præceptores alere possunt? Qui parentum gerant vicem, & suos ad pietatem & eruditionem alumnos doctrinâ instituant, exemplis ducant, præmiis invitent, pœnis alliciant. Equidem perfrixtæ sim frontis hoc si in universum negare velim. Scio quàm Phoenix Achilli, Plato Phocioni operam navarit, quorum similes hodiè quoq; reperiri plurimos, ad quos mea non pertinebit Oratio, nullus dubito. Sed tamen quales plerumq; soleant esse, qui magnorum virorum liberos suæ fidei commissos erudiunt, non quidem ego dicam, ne verba de rebus, ut videbor, ignotis facturus, ad exemplum Phormionis ab Hannibale quodam ridear: sed pro me vocalis ille & clamosus, Carneades loquetur. Is igitur divitum, & principum filios nihil ait probè  
discere

discere, præter unam equitandi artem: quod iis cæteri omnes adulentur: solus autem equus sessorem, princeps sit an privatus, nihil moretur, sed tergo excutiat, quisquis equitare nesciat. Utinam falleris & falleres ô philosophe. Sed hanc præceptorum flagitiosam, ut dicam mollissimè, indulgentiam Respub: provinciæ, Regna, imperia magno suo cum malo quotidie experiuntur. Ita siquidem comparatum est, ut magistrorum plurimi Heroinarum gratiam aucupentur, discipulorum capent benevolentiam, præmia sperent, mecedem paciscantur, olim si adoleverint, solvendam. His ut potissimum antur omnibus, nihil non ferunt, nihil non permittunt alumnis: ociari, stertere, potare, aleâ ludere, nihili studia literarum facere, omni virtuti longum valedicere: tot inquam, & tanta flagitia non modò tolerant hi nostri, si Diis placet, magistelli: sed etiam tegunt, palliant, excusant: quin & miseros parentes vanis ludunt pollicitationibus, & inani spe producunt, donec hæ fraudes patefcant, & digna fide sua præmia tandem reperiant. Alij qui non nihil meliores, si palulùm discipuli profecerunt Dii boni, quos clamores excitant, quas laudes plenis buccis crepant? Novit alumnus inter oves, & ova, quid sit discriminis: absolutus est Grammaticus Varrone doctior, prædicabilia quot sint numero, didicit: optimus est Dialecticus, Chrysippo argutior. Genera causarum in Rhetoricis hæsitanter recitare potest: Orator est disertissimus, Cicerone eloquentior. Quatuor esse se corpora simplicia sub sphaera lunæ, fortassè aliud agens inaudivit: acutissimus est physicus, Aristotele multo peritior. Nec satis hoc est: ad majora buccinatores isti progrediuntur. Tenet Herois filius, in arce bonorum omnium virtutem esse collocandam: Ethicorum princeps

princeps perhibetur. Scit tres imperiorum esse formas, Monarchiam, Aristocratiam, Democratiam: Politicorum omnium prudentissimus, ad Rempub: admo-  
vendus, imperio summo dignus proclamatur. Deniq; si Decalogi decem præcepta quamlibet confusè reddere potest, & enumerare, Theologorum summus est, penes quem sit Ecclesiæ controversias dirimere, dicenda & tacenda docentibus præscribere, exilio, gladio, aquâ, igne contradicentes multare, plectere, emungere & cremare. Ita præceptorum adulatoriæ, & mendaces blanditiæ, non tantùm in fraudem parentes credulos pellicunt, sed etiam è discipulis tardis planè truncos, è stupidis planè fatuos efficiunt, ut ad ea nauscent studia, quæ nondum primoribus labris degustarunt. Deniq; non infrequens est & tertium præceptorum genus, qui quæ non probanda, vident quidem & dolent, avertunt corrigere, sed emendare non audent. Sciunt sibi cum ursis feroculis esse negotium, qui irritati dentibus & unguibus suos in Magistros irruunt. Sciunt quæ *διδασκαλία* Lino fuerint persoluta, à quo cum Hercules imperitè canens increparetur, ille plectro capiti præceptoris impacto miserum interemit. Cum itaq; tot apud magnos viros educationis impedimenta sint, quis porro Heroum filios esse noxas mirari poterit. Veruntamen multi sunt Heroum qui in educandis liberis, non minus diligentia, quam Persæ adhibent, suosq; vel ipsi ad pietatem, ad virtutem assuefaciunt: vel si per occupationes publicas huic rei operâ dare non licet, suis tamen præceptores adjungunt optimorû optimos, doctissimorû doctissimos: quis negare ausit? Quin & Magistrorum plurimi, sed miserimâ conditione seu potius sub gladio ab setâ equinâ suspenso, quod sui muneris est, summâ fide, summo labore;

labore, contentione summâ exequuntur: vigilant, sudant, hoc tantum sine, suos ut alumnos ad edita doctrinæ sapientum templa serena ducant, ad summum honoris & gloriæ fastigium extollant, & tamen sæpissimè volunt saxum Sisyphi, multumq; conando nè hilum proficiunt, & quos optimos fore augurabantur, eos in beluas turpissimas degenerare non sine dolore experiuntur. Hoc itaq; malum undè suam trahere originem putabimus? Illud vero Divus Paulus Menandri versu, quem sanctificavit in Epistolis suis edisserit: *Φθείρασι νήθη κρησθ' ὀμιλίαι, κακῶν*: Bonos corrumpunt mores congressus mali. Edisserit ille Græcorum senarius: *κακοῖς ὀμιλῶν καὶ αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός*: malus ipse fies, si cum malis vitam egeris. Edisserit Plutarchus de liberorum educatione: *ἀνχολῶ παροικήσης ὑποσκάζον μαθήσης*: Juxta claudum habitans, subelaudicare disces, Hæc vero nostri fundi maxima est calamitas, quæ lactescentem pietatis, & virtutis segetem, ceu grandio quædam frangit & obterit: ceu diluvium inundat & obruit, & ea incipit omnia, quæ parentes & præceptores capere debebant, cæteris quidem de sodalitiis nihil dicam: De adulatoribus, gnathonibus, parasitis, quod genus hominum pestilentissimum est, in medium pauca A. O. si placet, adferam: Quod itaq; Comicus inquit apud magnates primas tenere assentatorem, secundas sycophantem, tertias malitiosum: id de filiis Heroum verius esse, quàm vel expedit Reipub: vel privatis familiis conducit, experientia, quæ stultorum etiam poterat esse magistra satis superq; testatur. Ut enim muscæ circa culinas volitant & coenaculorum parietibus adhærescunt: ita parasiti non nisi locupletiores, nobiliores, confectantur adolescentibus: Horum obsident fores, horum itus & reditus observant

observant: quin animos etiam ipsos aperiunt, & reclu-  
 dunt, ut rapinis & flagitiis omnibus pateant. Quid e-  
 nim facilius his mastigiis, quàm adolescentes rerum  
 imperitos, qui nec per ætatis temeritatem sapere, nec  
 per imbecillitatem constantiam tueri possunt, sensim  
 ad turpissimorum scelerum præcipitia vel invites abdu-  
 cere. Iubent parentes liberos, præceptores discipulos  
 iubent, ut religioni sint dediti, pietati dent operam, sa-  
 cras audiant conciones, preces ad Deum assiduas fun-  
 dant, præmia sperent, pœnas metuant. Hi verò nostri  
*περκοπιζοντες* quæcunq; ad sacra pertinent, supersti-  
 tionem, pietatem, ridiculam persuasionem, Dei verbum,  
 inanes fabellas, preces, odiosam *βαττολογίαν*, spem  
 præmiorum, vigilantium somnia, metum pœnarum, com-  
 mentitia *μορμολοκῆα* interpretantur. Svadent pa-  
 rentes, præceptores svadent, ut sine profusione sum-  
 ptuum parcè, sine spurcitie libidinum castè, sine ingluvie  
 sobriè, sine petulantia modestè vivatur. At hi nostri  
*γαστριμαργοι*, quænam suis alumnis præcepta suggerunt  
 parentes circum venire, argento senes emungere, omni-  
 a abligurire, decoquere, profundere: ad summam hoc  
 unum dare operam, nè homines ratione, sed leones ferit-  
 ate, Lupi immanitate, simia ineptiis, sues lutulentis  
 sordibus esse videantur. Quis non senserit? tolerabi-  
 lius esse, vel minutissimas in particulas ab Actæonis canis  
 bus discerpi, quàm semel harum bestiarum moribus  
 laniari. Sed nox citius diem adimet, quàm incommo-  
 da, quæ *μύρια ἐπὶ μυρίοις* ab assentatorum grege in inge-  
 nuos redeunt adolescentes, enumerare possim.

Superest A. O, ut ultimam causarum moralium bre-  
 viter exponam, quod simul atq; fecero, litus incipiam  
 legere, & in portum me recipiam. Ea vero si qualis  
 sit, scire

fit, scire cupias; Plautum in consilium adhibeto, qui tribus, quod ajunt verbis, quæ in bonâ causâ planè sufficiunt, respondebit: secundas fortunas decent superbiæ, Respondebit Seneca Poëta gravissimus: Dominare turgidus, spiritus altos gere: sequitur superbos victor à tergo Deus. Omnes enim qui in hanc vitæ humanæ scenam variis induti personis ingrediuntur, res adversas tolerare non volunt & tamen secundas moderatè ferre non possunt. Simulatq; fortuna blandiri illis, & arridere cœperit, & ad honores, ad divitias eos provexerit: insolescunt, intumescunt, cristas erigere, supercilia tollere, ferocire, luxuriare, calcitrare, Deos & homines pensi non habere incipiunt. Ubi enim uber, ibi tuber: & præclare Xenophon, difficilius ait inveniri, qui secundam fortunam benè ferat, quàm qui adversam sufferat: quòd illa in plerisq; vim & injuriam provocet, hæc continentiam & moderationem in omnibus efficiat. Hic *ῥύφος* plusquam Africanus in Heroum filiis ferè conspicitur, Tantos enim ex autoritate parentum, potentiâ gloriâ, divitiis, memoria concipiunt spiritus, ut fas & nefas sibi indiscriminatim concessa putent, & nullis à piaculis animum abducant, quæ arrogantia verè similis est aquæ stygiæ, quam si præcordiis conceperis, viscera continuò alligat, & summâ celeritate haurientes strangulat. Omnem enim superbiam non tantum homines oderunt: sed ipse & Deus averfatur, abhorret, & Adrastiam submittit Deam, quæ poenas ab insolentiâ debitas quidem, sed funestas admodum, & luctuosas sumit. Efferuntur arrogantiam magnorum virorum posteri: adest è vestigio cœleste numen, & velut auriga quidam equum ferocientem loris, cespitantem stimulis, sternacem flagris compefcit. Rebus secundis extruberant  
& exube-

& exuberant: Ecce tibi Saturnū illum patrem, qui in morem agricolæ falcem immittit in hunc luxuriantem agrum, & superflua demetit, stringit folia, frondes defringit. Fortunâ prosperâ inflantur, turgescunt: Ecce tibi medicum, qui sanguinem mittere, qui flatus subducere, qui noxios è corpore humores derivare possunt: Ecce tibi balneatorem, qui thermis Neronianis eos foveat, calefaciat, restituat. Quod si nihil emollientibus hisce medicamentis proficiatur, eosdem Deus ut insanabiles deserit, ut nocentes perdit, ut sceleratos & perditos ex omni memoriâ tollit.

Hanc ad Tragœdiam illud Pythagoræ de Repub: non incommodè referri posse videtur, qui in civitatem ait primū ingredi κόρον, quam excipiat τροφή, cui ὕβρις succedat, donec ipsa tandem πανωλεθρία subsequatur. Poteram, Vobis A. O. quamlibet multis & rationum momentis, & nobilissimorum hominum exemplis demonstrare, singulis in familiis iisdem gradibus ad interitum festinari: sed nec temporis brevitatis, nec aures vestræ patientissimæ, quas mihi satis diu præbuisistis longiorem ferunt Orationem: ideoq; vela lubens contraham, & tandem navim hanc meam in litus subducam.

Vobis A. Omnium ordinum selectissimi gratias ago sempiternas, quòd me de rebus magnis tenuiter differentem benevolè audire & patienter sufferre non gravatis, quod beneficium ~~quod vobis tenet~~ ex animo meo, dum vixero, non elabi patiar.

Quod autem superest, Deum, qui solus imperiis suas metas posuit, suas familiis periodos descripsit, supplicibus votis oramus & imploramus, ut hoc mundi jam affecti & prope confecti crepusculo ad nos divertat, nobiscū commoretur, & in hac illuni plurimorum errorum

nocte puram veritatis & pietatis lucem in animis nostris accendat, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris. Tueatur & conservet Clementissimum nostrum Magistratum, potentissimum ac serenissimum Regem nostrum hujus Regni Sveciæ, DN. CAROLUM GUSTAVUM, cujus gloria propter egregiam pietatem vetustissimam nobilitatem, rerum gestarum magnitudinem, singularem prudentiam, admirabilem clementiam, eximiam liberalitatem, iisdem continetur metis quibus orbis terrarum circumscribitur: Det ut eundem cum Reginâ serenissimâ ac potentissima DN. HEDVIGE ELEONORA usq; ad annos bene multos vivum ac valentem semper habeamus. Faxit Deus O. M. ut his sub arboribus diutissimè vitam agere, ab erroribus liberam, à periculis tutam possimus: & hanc mentem Reginæ CHRISTINÆ, simulac hujus Regni Proceribus largiatur, ut Heroicas majorum virtutes, non æquare tantum, sed etiam superare conentur.

*Et natî natorum, & qui nascentur ab illis.*

Deniq; toto precamur pectore, ut cætus docentium & discitentium in Scholis & Academiis, præsertim in hac Regiâ Academia Aboensi Deus umbrâ alarum suarum benignè protegat, ne vel morborum contagio, vel bellorum metu, vel animorum distractione quasi fumo quodam ex suis alveolis abigantur & dissipentur, sed faciat, ut omnes uno conatu gloriam ipsius devotè ampliemus, strenuè salutem publicam provehamus, & nostræ ipsorum incolumitati sedulò prospiciamus.

DIXI.

*Ad praestantissimum & literatissimum*  
Dn. JACOBUM E. HOLMIUM in proverbium:  
*Heroum filij noxa: egregie verba facientem,*

**E***St ager ingenium, cultura statq; caditq;*  
*Stet, precor, ingenium, chare Jacobe, tuum,*

Hoc Affini suo perdilecto  
occupatiss: adjecit.

AXELIUS KEMPE

Acad. Biblioth.

---

**S**emen saepe bonum in sterilem mutatur avenam:

Sic patrum decus in posteritate perit.

Tales fastidis, claro de sanguine, noxas,

Et virtute aequas, docte Jacobe, tuos.

Georgius P. Bhoorn. Both.

---

JACOBUSELII HOLMIUS OSTRO-  
NIENSIS.

*Per Anagr:*

JESUS BEAT OLIM SALUTE BONOS; HIC IIS  
HONOR.

**S**ummum praeclaros decus est atavos numerare

Et nasci claro gloria magna toro:

Sed vitij ingens pudor est scatuisset, paterna

Et non virtutis candida signa sequi.

En Jacobe refers utrumq; polite discretis

Verbis cui mens est stemmate clara bono est.

Gratulor ergo tibi propria de sorte, Patrizia,

*Sic eris*

*Sic eris in patrio lucida gemma solo,  
Mente graves pietate viros refer, inde resultet  
Hic ut iis tandem sic honor euge tibi.  
Maeste! potens olim tibi Jesus premia solvet,  
Qui beat aeterna rite salute bonos.*

Sic perneccessario suo propensioris affe-  
ctus ergò gratulabundus cecinit

Gabriel J. Peldanus  
Ost. Bothn.

---

**E**St aliquid vivos atavorum in marmore vultus<sup>o</sup>  
Cernere, & æratis decora alta notare columnis<sup>o</sup>;  
Equibus & vitæ capiant exempla nepotes,  
Atq; patrum in natis vivat post funera virtus:  
At genus antiquum, & priscae vestigia laudis<sup>o</sup>  
Perdere, neglectisq; ab Equis transire ad asellos,  
Hoc ignaviae opus. Melius latuisse sub imis  
Sordibus annè erat aut crassis sine luce tenebris,  
Quam caput indignum nequicquam tollere ad auras<sup>o</sup>?  
Jure bono verbis, perdocte IACOBÆ, disertis<sup>o</sup>  
Hos pigros ventres, ignavaq; pectora rides<sup>o</sup>,  
Rides, & studiis, soboles patre digna, paternis<sup>o</sup>  
Insistens, famam virtute extendis a vitam,  
I, pete Parnassi plenis juga celsa quadrigis<sup>o</sup>.  
Currenti facilis faveat cælestis Apollo.

Henricus T. Mullovius  
Bothn,

